



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

Artem naturae coniunctam plurimum ualere ad facetudinem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

DE SERMONE

naturæ regionum sint cognita, sedesq; è quibus deducuntur facetiæ, materia ipsa præbita sit, ac sumministrata etiam affatum iocari uolentibus. Itaq; nec naturæ decrit arti, nec ingenium ab arte destituetur, atq; obseruatione, Obseruatio enim pedetentim in præcepta redigitur, ars autem præceptis constat, Quæsi quibusdam in rebus ad summum, atq; absolutum non peruenit, nec penitus consummata est, quod aut ipsarum rerum infinitas quædam est, aut quod tum negligentia est i causa, tum rerum difficultas, tum etiam quia peruenisse ad aliquam cognitionem satis quidem uideatur, Et mouendi quidem risus peritiam leuior uideatur, perq; satis sit Oratori, qua orator, & urbano homini, qua ciuis est, ex hac ipsa obseruatione tantum esse confectio, ut & mouere ex se pro loco ac tempore risum queat, & animorum refocillationem parere hac ipsa uia, quam facetiæ munierint, ac lepores, solersq; iocandi cognitio, nõ quæ Oratoris sit propria, sed faceti, qua de re libro hoc ipsi differimus.

Artem naturæ coniunctam plurimum

ualere ad facetudinem.

His itaq; hunc in modum explicatis, sensim quidem, atq; exemplis propositis ostendamus artem naturæ coniunctam id præstare, ut quod turpe est suapte natura atq; obscenum, id dicatur nec turpiter, nec obscene. quod artis esse quis neget? Perinde enim ut sterilibus in arboribus infertionis arte utuntur agricolæ, quo fecundas illas, atq; hortenses efficiant è siluaticis, sic faceti homines arte adhibita, ac translationibus usum rem naturaliter turpem dictis honestant, & quod ipsum per se obscenum est, in lepidum uertunt, ac facetum. Id autem est huiusmodi. Reguli cuiusdam aula inquinabatur nefandis puerorum amoribus, atq; huiusce generis libidine. Forte igitur ex aulicis quispiam æstiuo tempore in cubiculo quiescebat sub meridiè spirantibus Zephyris, quorum afflatu quibus ille intectus erat linteolis detegebatur pudendas ad partes corporis. Forte igitur ea præteriens Rodoricus Hispalensis, uir & suauis, & qui aulicorum mores notos haberet, cum animaduertet cucurbitulam quasi quandam pendere ad illius ramices, mirum ne inquit uideatur, grandiusculam eam esse, quæ in sterquilinio coaluerit? Videtis ne, ars ingenio commutata quid præstiterit? Adhibita enim translatione uirilil membri in cucurbitulam, primo uerbum honestauit, deinde rem turpem honestis uocibus & expressit, & acusa uit, eadem translatione usus. Cucurbita enim fimo saturata mirifice grandescit.

grandescit. Quo etiam uerborum honestamento turpem illius usum in re uenera expressit, et ridiculum fecit. Hæc igitur artis sunt, quæ in hac ipsa parte locum quoque suum obtinent, si qui facilijs dant operam, artis ipsius obliuisci noluerint, Nam si facetudo mediocritas quædam est, sine arte id est absque prudentia et artificio perueniri ad illam nequit. Idem hic Rodoricus cum uidisset ingredientem Florentinum hominem in regis atrium, in quo pueri regij se se exercebant ad pilam, Maeste inquit fide, ac mercatura uir, arcem hanc ingressus, ad eius portam credo pugnumculum de more reliqueris, et atrium ingressurus, ne legem quoque atrij ignores, ante eius hostium et tentigam tibi relinquenda est. An potuit honestius et turpitudinem indicare, et ludere cum mercatore prudentius? Hæc igitur ipsa (ut dixi) artis sunt, quæ plurimum apud ingeniosum hominem ad consequendam retinendamque mediocritatem est prætistura. Artis quoque ipsius est et inuenire, et considerare, locis est quibus dicta ipsa, ridiculaque deducatur. In priori igitur dicto locus præbitus est a translatione, in secundo a rei similitudine, quemadmodum et hoc quod subijcio. Pepererat infantulum Paschasij Decij mirus arcis Neapolitanæ præfecti, utque de more est, et congratulatum una, et uisitatam accesserat idem de quo dictum est Rodoricus. Itaque ingressus ipse cubiculum, in quo conqueſcebat puerpera, comperit hinc Paschasium confectum senio, innisum baculo, ac languescentem, illinc è familiaribus quempiam, perinde ac bouem nimia de obesitate iacentem in scrinio, itemque alterum eo ingenio præditum, parum qui ab asello iudicaretur differre. Progressus igitur ad cubile, ubi infantulus uagebat pedes exosculatus est eius, conuersusque ad astantes an inquit præsepe ingressus, in quo et asinus et bos recumberet, seniorque una Iosephus, non et ipse ad Christi pedes exosculandos progredere? Potuit ne ars ingenioso suffragata homini commodiore uti, atque appositore similitudine? ut quæ ridicula non esset res, illam ex arte maxime ridiculam efficeret. Est apud Plautum ex ore et pudicæ et permolestæ mulieris dictum eadem è translatione atque officina haustum, quod etiam supra posui in re quidem uxoria, quæ suapte natura per pudenda quidem dictum est, Fundum alienum arat, familiarem incultum deserit, Quod et si risum non mouerit, ostendit tamen ars ipsa quid ualeat. Habenus igitur locos duos maxime nobiles et translationis, et similitudinis, qui satis quidem aperte uel confirmare possunt, uel testificari prætorio etiam in iudicio, artem quoque uel maximum in his locum sibi uendicare posse, nisi hominum defuerit industria, laborque ille pertinax, rerum omnium

DE SERMONE

expugnator. Quocirca locos etiam alios percenseamus, qui admonere nos & artis possunt, & observationis, quæ artem ipsam constituere est solita.

De inueniendis dictorum ac
ridiculorum locis.

Quoniam autem quos locos appellamus, ij sedes dictorum sunt ac ridiculorum, è quibus ioci ac sibi dem lateant, extrudendi sunt, ad alias iam regiones proficiscimur, quo palam fiat artem quoque in illis non parum ualere. Seditibus nobis pro foribus nostris, differentibusque his ipsis de rebus, facti sunt obuiam inter se agrestes duo, alter albenti pilleo, eoque grandiore intectus caput, alter nudatis pedibus ac plantis. Atque hic quidem è uestigio uerbis in illum illatus, Quanti, inquit, singulus iste? pilleum uidelicet irridens. Ille sublato statim supercilio, conuersis mox ad pedes eius oculis, respondit, Quanti calceoli tui, ac denariolo pluris? Statim omnes in risum conuersi sumus. Igitur alter à pilleo admonitus est, excitusque à natura, eaque duce tantum, alter etiam ab arte adiutus quæ illum admonuit pedum ex calciatorum. Itaque locus laceffentis uidetur à uestitu oblatus, respõdentis ab arte representatus atque ab opposito. Alter enim erat intecto capite atque à superiore corporis parte, alter nudatis pedibus, quæ pars inferior est corporis. Non rideas modo, uerum etiam dirumpare, cum apud Plautum, dicentem illum audias in Trinumo, Pol hic quidè fungino est genere, capite se totum tegit. Eodem tempore cum staret forte nobis è regione sutor senex, & quidem sordidus admodum senex, cui ad nasum pendeat pituita grandiuscula quidem ac pellucida, præteriens homullus diaculus & ipse, pannis tamen, atque annis obfusus, ut ille inquit apud Terentium, iocandi que opportunitatem nactus, Perpulchrum inquit adamantæ & pretiosum. Tum alter, Et anulo tuo dignum. Tali igitur, tamque inexpectato responso ars ne an natura, an simul iunctæ iocari urbanius potuerint, nesciam. Ille enim iocatus est sumpta occasione senili ab ætate, quæ pituitosa est, hic uero ab eo quod adamantes includi anulis sint soliti. Sumpsit urbanissime Plautus etiam alibi iocandi opportunitatem à tempore, nam cum dixisset seruus apud lenam de amatore, quam tibi sospitalis fuit, tum lena, Mortuus est inquit, qui fuit. qui est, uiuus est. Iocabantur aliquando uel rixabantur potius ex ijs duo, quos maiores nostri appellabant nebulones, & alteri quidem Asello factum est nomen, quod ob lin-